

Oratio habita per R^{edum}
Patrem dñm Antonium
Pucciuz Camere Aplice
Clericū : in Nonā Sacro-
sancti Lateraneñ. Concilii
Sessione. Tertio Non.
Maii. M. d. xiiii.





Leoni. X. Pont. Max. Antonius Puccius
humillime pedes osculatus sese
cōmendat.

Paulopost tuam ad summi Apostolatus Apicem
gratissimā omnibus assumptionē Beatiss. Pater
ad Urbem profectus / quo Septemuiratus munus a
Reuerendissimo Patruo meo gratia & munificentia
tua in me translātū exercerem. Nihil sane magis op-
taui q̄ aliquā dari occasionem: qua singularē meā er-
ga Sanctitatem tuā seruitutis affectū: si non implere
aliquo saltem inditio declarare possem. Qua de re su-
perioribus mensibus Beatitudine tua uelut estuantis
desiderii mei præsaga perdifficile mihi orādi in Late-
ranē. Concilio munus demandāte: licet impar meis
illud humeris uiderē: more tamen Amantiū nō quid
uires possent ingenii: sed quantū uis auderet amoris
inspiciens: quicquid benigne per Te fuit iniunctum
prompta mentis hilaritate suscepi: Susceptūq; hodie
in augustissimo Lateranē. Templo corā inclyto Sā-
ctitatis tuæ conspectu benigna grataq; eius attentio-
ne pro uiribus pręstiti. Et cū non ab re fore duxerim:
ut quā astantibus uoce protuleram eam litteris Tibi
uni: a quo omniū salus unice pendet perpetuo dedi-
carem. Accipe quæso meā in te obseruantia ac serui-
tutis quaecūq; testimoniū / eo præcipue animo: ut si
quid forte aures / mentēq; tuā minus grauius uel or-
nate dictū offenderit / non temeritati; quā cum tanto

a ii



periculo minime attentassem: Sed flagranti potius
amori ascribas: qui (Hieronymo teste) modū nō ha-
bet/ordinem nescit/mensurā ignorat. Si qua uero nō
tam ex intima Rhetorices officina q̄præcipuis hau-
sta Theologis legentem te oblectauerint/ ea obedi-
entia merito tribuas: Cū diuinę misericordię munere fa-
ctum sit/ut quod optauit & uoluit/ aliqua etiā ex parte
possem. Reliquū ergo mihi est dies noctesq; Clemen-
tissimū deum orare: ut si dicēdo expresserim/ quę Tu
proprietate in deū/ pro morū disciplina/pacisq; cultu
in hac ipsa Nona Sessione/ Sacrosancto approbante
Concilio decreuisti: ubiq; ab omnibus Christifideli-
bus sincere ac integerrime obseruentur/Vale.

NVllum tempus unq̄ fuisse memini Pont. Max.
Patres amplissimi/ & Clarissimi Præsules: quo
magis animum meum cōmotum/ affectum/ inflam-
matumq; senserim; q̄ hodie totum me apud Sancti-
tatem tuā de uniuerso Ecclesię dei statu uerba factu-
rum cōmoueri/affici/inflāmariq; sentio. Licet enī di-
uinę Maiestatis tuę conspectus: rutilanti cuius ful-
gore imbecilles oculi mei caligant: Tot amplissimorū
Patrū confessus: quorū nemini ingenio uel sapientia
plurimarūq; rerū peritia mereor cōparari: Ipsius de-
niq; pertractandę rei magnitudo: quę omnē ingenii
ubertatem/omnem dicendi copiā/omne orationis ge-
nus excedit/ nō mediocriter me dicere incipientē ter-
reat; Recreat tamen recreat/ac sūmopere animū meū
reficit ratio cōmunis boni: quod ex Sacrosancti istius
confessus consilio atq; decreto uniuersę Christianę
fidei Catholicęq; Ecclesię prouenturū spero/ mihiq;
omnino polliceor. Noster nanq; Deus Iesus a morte
resurgens/& in altū ascendens: ut cœlestia inde dona
mortalibus largiret: si Ecclīę Sponsę suę/a qua cor-
pore discesserat/ pro ministerio exercendo/ pro gente
illuminanda/ pro fide consumenda/quosdā concessit
Apostolos: Prophetas aliquos: nōnullos Euāgelistas:
Doctores nō paucos: Pastores uero q̄ plurimos: Nimi-
rum Ego uelut Simeon alter animo & corpore debeo
exultare: qui hodie non uirtute propria excitatus/ sed
obediencię ratione compulsus/ eo meruerim oraturus
accedere: quo pro uniuersa tandem Ecclesia dei refor-



manda singulorū/ quos dixi/ sacros piosq; Successores
ac imitatores et iam frequētes uideo cōuenisse: & fre-
quentiores propediem conuenturos nō dubito. Gau-
deo igit̄ iure optimo; utq; conceptū a me gaudiū ube-
riori plenitudine cōpleatur/ Duo dicturo mihi a Bea-
titudine tua Pont. Max. bona horū amplissimorū Pa-
trum uenia/ concedi flagranter opto: humillimeq; de-
posco. Primū/ ut sacratissimæ dei Sponsæ (præsenti
cuius corpori in melius reformādo toto animi inhæ-
res affectu) excellentiā: Præcipuas deinde reformādi
causas/ pro mea/ quantula sit dicendi facultate/ in me-
diū afferam/ quo conceptā animo tuo reformationē;
& a nobis optatā diu uehementissimeq; spiratā omni
studio/ labore/ atq; conatu prosequi non desistas. Sed
anteq; hæc aggrediar / per Angelicam salutationem a
Beatissima Virgine opem suppliciter implorabo.

¶ Aue Maria/ gratia plena zc.

CVpientibus nobis Beatissime Pater superne il-
lius Hierusalem / quā recte liberā cōmunemq;
omniū Matrem sacra testatur pagina/ excellentiā ad-
mirabilemq; gloriā & dignitatē accuratius indagare/
Tria petissimū consideratione/ attentioneq; digna in-
mentem ueniūt: Primū q; gratuita dote a Sponso præ-
electa: Deinde spiritali & indiuidua copula illi con-
iuncta: Beatissima postremo Sobole secunda Mater
effecta est. Vniuerso siquidē humano genere proto-

parentum nostrorū transgressione uanitati subiecto/
eiusq; rationabili intellectu peccatorū caligine obscu-
rato/ ac diuinorū semitā mandatorū prorsus oblito/ im-
piaq; cordis sui desperatione in omnē impudicitiam/
turpitudinē/ imunditiam prolapso/ demerso/ atq; de-
fixo/ sapientis Dei filius coomnipotēti & coeterno cū
Patre sapiētiae suæ lumine in beneplacita paternæ uo-
lūtatis dispensatione perspiciens mortales omnes nō
per aliū q̄ per se ipsum Filiū ab æterno Deū/ sed in ex-
tremo tempore hominē factum/ inter deū Patrem &
homines mediatorem futurū/ ipsi Paternæ Maiestati
recōciliari oportere/ celestiq; gratia recreari/ ac peren-
ni demū celorū hereditate donari/ tam insigne miseri-
cordiæ ac pietatis & dilectionis erga nos sacrificiū uel
in ipso Crucis patibulo offerre non recusauit. Licet
enim unicam illam Sponsam / cui per spiritale & ca-
stissimū matrimoniū adueniente temporis plenitudi-
ne in odorem suauitatis insolubiliter iungēdus erat/
ita sordidam atq; inopem conspiceretur / ut neq; sor-
des eius humano more copia rerum delere / neq; for-
ma inopiam excusare posset: Nimio tamen humanæ
salutis ardore flagrans / anteq; paterno sinu prodiens
mūdum ingrederetur / ad Patrem ipsum in Throno
cōuersus clamauit: Hostiam & oblationem noluisti/
Holocausta & pro peccato non postulasti / Corpus
autem adaptaisti mihi / tunc dixi Ecce uenio. In ca-
pite libri scriptum est de me / ut faciam uoluntatem
tuam. Quā obsecro uoluntatem ad nos ueniens Iesus



dei filius facturus erat? Illā nempe illam: qua præde-
stinatos adoptionis filios sanctificauit: cum sanctissi-
mo illo corpore diuinæ suæ naturæ inuisibili Spiri-
tussancti artificio/de purissima Virginis carne apta-
to/in Araq; Crucis ultro pro nobis oblato de sacratis-
sima ipsius corpis aqua/sanguineq; pretiosissimo gra-
tuitā dotem heu nimis charam nimisq; pretiosam Ec-
clesiæ Sponsæ suæ cōstituit atq; confecit. Quo quidē
lauacro/profluuiioq; dotali eandē Sponsam ab omni
labe ita mundauit/omniq; scientiæ ac sapientiæ the-
sauro locupletauit/ ut oīum merito pulcherrima atq;
ditissima prædicari deberet / Sacro illo testante elo-
quio: Sicut Liliū inter spinas/ ita Amica mea inter
filias. Ac rursus: Multæ filiæ cōgregauerūt sibi diui-
tias / tu uero supergressa es uniuersas. At per quam
reputamus spiritalem copulam tam sanctum Chri-
sti & Ecclesiæ matrimonium consumatum? per eam
profecto Theologorum iudicio / qua non solum duo
per mutuam coniunctionem caro una: Sed unum
potius in carne una effecti sunt/canente Sponsa: Dile-
ctus meus mihi & Ego illi. Id quod sacrum diuinūq;
mysteriū præclarus ille uniuersarū Gentiū Institutor
Vas electionis diuinitus cōtemplatus/ magnū matri-
monii Sacramentū in Christo & Ecclesia consumatū
esse testatus est. Quippe qui tāta unitatis ui/tamq; in
dissolubili amoris nexu mutuo coniuncti sunt ligati
atq; constricti: ut nō minus difficile iudicetur a latere
Sponsi consortem eius Eccliam segregari/ q̄ sit etiam

luisi / parce obsecro filiis tuis nō corruptibili emptis
auro uel argento/sed prætioso ac uiuifico Christi san-
guine e diabolica potestate redemptis: Euigila queſo/
intende / enitere in saluberrimū componendæ Pacis
opus: quo perficiendo dum per Legatos ac Nuntios
sedulam impetris operam/ut arma interim conuiel-
cant/a Christiano sanguine temperetur/expetendæ a
cunctis Induciæ statuatur / omnē tuam auctoritatē
decretumq; interpone. Cum enim tātis in rebus tam
arduissq; negotiis Principū animos nō minus opinio
famæ q̄ ratio certa ad alterius uel contemptū/ uel me-
tum/uel odium/uel amorem soleat cōmouere/ optatā
hanc ipsam inter Christianos Pacem celerrime confe-
ctum iri sperandū est: Sperandū dixi? imo (ut uerius
loquar) te hmōi peragendæ pacis Auctore tam casto
tam pio/ tam religioso constantissime affirmandum.
Quippe cuius celeberrimū nomen apud Christianos
Principes tantæ hucusq; fuit Auctoritatis & gratiæ/
ut quod tu pro cōmuni omnīū quiete/ dignitate/salu-
te/decreueris/ratū gratumq; omnes proculdubio sint
habaturi: non ignari/omnē tibi uni in cęlo & in terra
traditam a dño potestatem: ut non spiritalibus tantū
uiris / sed terrenis quoq; huius sæculi Potestatibus in
causa cōmunis boni Ius dicere nō pertimescas. Quod
tum demū (ut ad alterā doloris causam iam deueniā)
felicissime contigerit/ si hoc potissimū tempore/ cum
omnis caro uitam suam corrumpit/simulq; omnes decli-
nauerunt a recto/ nec est qui faciat bonū non est usq;



ad unū/ ad uniuersam Christianæ religionis censurā
quo cepisti ardore procedas. O nos ignaros/ o cæcos/
o nostrimet prorsus oblitos / qui iucundo temporalis
Pacis solatio perfrui nolumus horrendis æterni belli
suppliciiis cruciandi; qui humanā rabiem sedari confi-
dimus iram omnipotentis dei suam in nos uibrantis
gladiū subituri. Optas tu summe Pontifex? imo nihil te
magis hoc optare affirmas / Pacem inter Christianos
tuos a dño impetrare? Internas nostras uitioꝝ simul-
tates attēde; ut his sedatis/ quæ sunt externa/ Pace sua-
uissima perfruantur. Nam si te ad secularē imprimis
hominū statum diligentissime discutiendum conuer-
teris/ quid in eis existimas offensum iri? nisi impieta-
tem circa diuina fidei nostræ mysteria: quæ aut curio-
se perquirunt/ aut leuiter derident/ aut superbe con-
temnūt: Blaffemiā ac detestationem aduersus Deum
horribilem / in Sanctosq; abominabile? Detractionē
in Pastores sacros/ impiam atq; nefandā? Sacrarū cen-
surarū contemptū: Sacrilegia rerumq; diuinarū occu-
pationem ac surreptionē: Auaritiam in comparandis
fœnore opibus damnatis uix Hebreis permisso: Tur-
pitudinem in quouis obscenitatis genere inauditam:
Odiū inextinguibile/ sumēdæq; pro acceptis iniuriis
uindictæ/ flagrantissimā cupiditatē/ unde frequenter
Rixæ/ quotidiana uulnera/ homicidiaq; crebra pro-
ueniunt: Extremā deniq; in quouis flagitio ac facino-
re perpetrando licentiam: Quæ quidem omnia tanto
acerbiori animū tuum dolore conficiant quanto ea in

hominibus diuturniora / grauiora / impudentioraq;
esse conspexeris. Quid si in obligationem obseruan-
dæ uirtuti & honestati Religiosorum gradum men-
tem intenderis? nōne ibi q̄plura depræhendes? quæ
in maximū Animarum fidelium exemplum & ex co-
scandalum uergere dinoscuntur? Vt enim præcipuā
illam doloris causam silentio prætereā / inter eosdem
ipsos nō minus præcepto q̄ nomine Fratres/ quos par-
tim Conuentuales/partim Obseruantes trito uocabu-
lo nuncupamus/ tam magnū Chaos interuenisse: ut
qui Obseruantum ordine non censentur Religiosorū
numero excludantur: cū tamen nomen ipsum Con-
uentuale/modo reliquū uitæ respondeat/purgatis au-
ribus nil nisi pudicum sanctūq; repræsentet: Quo nā
merore? quo gemitu? quo singultu? reliquū sacra-
rum Religionū statum expræssero? Si enim uel tem-
porum malignitate/uel dissimilitudine uoluntatū eo-
deuentum est / ut necessario in Ecclesia dei Conuentus
unus/unaq; obseruantia sit futura/quod ego maxime
deploro: Cur quæso obseruantia ipsa in plures rursus
obseruantias scinditur? diuellitur? ac laceratur? ut dū
uni regendo corpori plura quidē capita/ q̄ uix mēbra
in ipso corpe sint regēda/præesse cernamus/ueluti unū
in plures riuulos deriuatū flumē facilius exsiccare cō-
tingit / ita oēm spiritalē corpe profectū nō mediocriter
extenuari timēdū est monēte Ap̄lo/Xp̄icolas oēs/ eos
p̄cipue/q & habitu & disciplina in unū cōuenerint/ eo-
dē sensu/eadēq; scia abūdare/idiipm dicere/nullā inter



eos Scismatis causam fouere/ unū deniq; corpus atq;
unū Spiritum existentes / unam scilicet obedientiā/
unamq; charitatem profitentes ad optatum supernæ
uocationis brauiū properare debere. Ex quo fit Pater
Beatissime/ ut si hodie sub diuersis Patrum uexillis fi
deli cuiq; merere liceat/ ne forte inuanū Propheta cā
tarit: Astitit Regina a dextris eius in uestitu deaura
to circūdata uarietate/ Illud quidem pro Euangelica
disciplina seruanda omnino expediat/ ut cuilibet eorū
corpori suū præsit Caput/ non autem uni Capiti plu
ra subinde Capita ambitiose uel monstrose potius
astruatur. Nam si ad monasticū inde ordinem te con
tuleris citra primam illam obseruantiaē conuentusq;
disonantiam/ ac nonnullas etiam inter obseruantes
ipsos obedientiaē contentiones atq; scissuras / ne qua
præcipua ignorantia/ ambitionis/ auaritia/ ac sollici
tudinis temporalis labes/ intimis eorū præcordiis me
dullitus inheferit/ etiam atq; etiam animaduertendū
inspiciendumq; pro tua sapientia iudicabis. Vt autē
de fœmineo deuotoq; sexu/ miserabilis cuius status ex
cōditione uiri/ qui Caput est mulieris/ attendi potest/
quæ dicenda se offerunt ex industria præteream/ Iam
obsecro ad eos qui in sortē domini uocati/ Clericali q;
insigniti caractere præcipuam animarū curā ac solli
citudinem gerunt / omnem mentem & cogitationem
coniicito. Quid enim inde regendis ouibus documen
ti/ quid utilitatis/ qd salutis sperari possit clarius atq;
apertius conspiciaberis. Heu heu miseros Patres talia

ex ore meo de filiis audituros: Sed me longe misero
rem propriis eadem labiis prolaturū: Miserrimos autē
eos qui & uobis audiendi occasionē / & mihi dicendi
causam suis operibus præbuere. Eo deuenit insignis
noster Clericorū ordo/ ut contempto acceptabili tem
pore/ tantaq; dierū nostrorū neglecta salute/ Charita
tis Regnū usq; adeo destruxerimus/ cupiditatis uero
Tyrannidem auxerimus/ ut ne præclarā hanc ipsam
militiam nostram coram diuina Maiestate dictis fa
ctisq; mentiamur / & uobis pro uestræ in nos pietatis
officio diligentissime aduertendū/ & nobis ex pūgen
ti conscientiaē stimulo uehementissime sit timendū.
Neq; enim modo (ut Augustini utar uerbis) Menda
ciū illud est falsa proferre/ sed Episcopū se aut Sacer
dotem/ uel Clericū profiteri & contraria huic ordini
operari. Sacra parump uolumina reuoluere placeat/
uetusta Patrū scita perscrutari/ omnem deniq; Cano
num tenorem repetere/ Nōne Clericum Adulatorem
impiumq; Proximi proditorem/ Maledicum fratrisq;
sui peruersum insimulatorem/ inuidum/ pacisq; alie
næ seditiosum perturbatorē / Ambitiosum Sacrarūq;
dignitatū Sacrilegū usurpatorē/ Adulterū/ ceterarūq;
obscenitatū turpissimū perpetratores/ crudelem per
se/ iniuriarūq; suarū sequissimū Vindicatorem/ Fene
ratorē/ turpiūq; lucrorū nefandissimū Quæstorē.
Nonne inq; hmoi omnes Clericos/ aut ad Sacerdotiū
non promoueri/ aut promotos partim ab ordine Sa
cerdotali deponi/ partim uero suspendi omnino debe



re/eorundem sacrorum uoluminū scitorūq; Patrum
ac priscorum Canonū summa Auctoritate inuolabi-
liq; decreto didicimus? Qd si Ecclesie Matris nostrae
benignitas prouidis suis Consiliis a tanta priscorum
Canonū seueritate aliquantulū non temperasset: quo
nam eiusmodi Clerici tempestate nostra confugerēt?
quo consciam sibi tot scelerū faciem obuoluerent? cu-
ius opem ac misericordiā implorare nō formidarent?
Nam dum omnibus Ecclesie gradibus ita discussis
ad Urbem ipsam: quam Babilonem Apostolorū Prin-
ceps diuino afflatus Spiritu nuncupauit/aciem men-
tis coniicio/eiusq; Incolas/Pastores: qui quotidie per
uniuersum Terrarū orbem animarū saluti praeficiun-
tur/tantorū causam errorū interrogare cōtendo. Ecce
diuinam illam Sponsam Hierusalem supernam non
mystici sui corporis splendore fulgentem / aut ipsius
Sponsi humanitatis fulgore splendētem/ sed lugubri
indutam ueste totam squallore confectā/ lachrymisq;
perfusam ad infimū suū corpus: quod hac fidelium
unitate representatur uisitandum descendere/nescio
quo intuitu uideor mihi conspiciere / taliaq; ad sacra-
tissimos Pontificis pedes passis crinibus prouolutā/
multo cum gemitu deplorātem audire. Heccine ego
suauissime Spōse unica illa dilecta tua atq; formosa?
quae iam clamare possum/ Noli me considerare quia
fusca sū: Heccine inclyta illa mea celebrisq; domus?
quam pene desertā ac litu squalentem a nemine ui-
deo frequentari: Heccine florida illa Vinea: quam ut

produceret uuas expectans/eam spinas tribulosq; pro-
duxisse perspicio? Vbi ille iucūditissime Sponse Hor-
tus meus irriguus? Vbi Lilia mea cādentia? Vbi Ro-
sae imarcessibiles? Nōne haec omnia gloria Libani cū
decore Carmeli a me transeunte euanuere? Vbi Pas-
cua gregis mei? quae tanq; arua deserti arefacta perlu-
stro? Vbi Pastores gregis/quos praesse potius q̄ pro-
desse/ dispergere q̄ colligere/ mactare q̄ saluare intelli-
go: Vbi demū Charissimi illi filii? quos genui / quos
educaui/quos foui/ quos decorauī? Illi aut spreuerūt
me/& aduersus me unam tanq; paruulam/maternaq;
ubera non habentem cornua erexere. Accurre Pater/
succurre Fili/occurre Sponse: Ego enim te ut Dei Vi-
carium Patrem colo/ut hominem Filiū diligo/ ut Ec-
clesiae uniuersae prepositum Sponsam amplector. Mi-
seremini aut/miseremini mei/ uos quoq; Amici mei:
quia Filii dereliquerūt me/& ex Charissimis meis nō
est qui consoletur me. Audistis Patres Matris uestrae
singultus/lachrymas conspexistis/ uociferationes in-
tellexistis/ implorationem misericordiae Pietatisq; ue-
stre animaduertistis. Eia agite obseruandi Antistites/
Vos primo nunc appellare iuuat / Omnem quae so co-
gitationem/ uigilantiam/ cōsiliū/ industriā/ operam
atq; conatum in hanc ipsam tam necessariā tamq; sa-
lubrem morū reformationē intendite/ adhibete/ con-
figite ac locate. Quid sobrietatis/quid decoris/quid pu-
dicitiae/quid hospitalitatis/quid sapientiae/quid recti-
tudinis ac iustitiae de quouis perfecto Pastore/ optat/



speratur/ac predicatur/ totū id in cæteros Christifideles & uitæ candore/ & uerbo doctrinæ/ diuinæ cooperatoris gratiæ largitate transfundite/huius præsertim amplissimi Senatus fauente consilio/ auctoritate/ decreto. Vos enim iam appello Patres amplissimi/Vos obtestor/Vos imploro/Vos inq̄ prouidi totius xp̄iani orbis Moderatores/diuini Christianæ fidei Consultores/Proprii ac singulares Ro. Pont. Electores/Dilectissimi Sedis Aplicæ Filii/ Amplū Ro. Eccl̄iæ gremiū/Latissimūq; omniū bonorū perfugiū/Firmissimi deniq; Terrarū Cardines/solidissimēq; Colūnæ: quibus uniuersum nostræ Fidei edificiū suffultū atq; firmatum in consummationē usq; seculi perdurabit immobile: Tantā obsecro uestri ordinis dignitatem perpendite: Ne si forte eam/uestriq; Gregis salutem singuli neglexeritis/nobilissima cuiusq; uestriū anima ante horrendum Christi Tribunal uel inuita cogatur audire/Si ignoras te o/pulcherrīa inter mulieres/egredere/& abi post uestigia Gregū tuorū/& pasce Aedos tuos iuxta Tabernacula Pastorum. Ut autem dignitatem hanc ipsam uestrā & animo cognoscatis/& opere comprobetis/quod in humanis studiis/quod in Religione/quod deniq; in uniuerso Romano/Christianorū Clero salutari/ac necessaria indiget discussione/censura/institutione; Pullulantiū scilicet Heresum extirpatione/Morū disciplina/Regularis obediētiae unitas/Clerical' amictus institutū/Sacrorū initiatio/Multiiuga sacerdotiorū collatio/Aiāq; cura/Pastorū p̄ntia/Diocesū

uisitatio/Annua Episcopaliū Synodorū congregatio/Frequens Metropolitanorū Cōciliorū celebratio: Hæc omnia diligentia/consilio/integritateq; uestra discutite/castigate/componite. Nisi enim hoc ipso Concilii tempore/nisi per uos/nisi sub tanto animarū nostrarū Episcopo atq; Pastore:& famā nostrā/ quæ fere prorsus amissa est/recuperarimus;& salutem ipsam/ quæ spe exigua/ extremaq; pendet retinuerimus/nihil est præterea quo confugere aut in quo sperare possimus. Verū ut alacriori tādē animo ad hanc ipsam morū institutionem suscipiendā singuli conuertamur: Recordare obsecro Leo Sanctissime/recole/atq; considera / q̄ inestimabili dotis precio nostra superna Mater Ecclesia sancta unigenito dei filio desponsata/q̄ insolubili copula cum eo coniuncta/q̄ præclara Sobole fecunda Mater effecta sit: Contemplare singulas uniuersasq; causas: quæ ut pro eo Ecclesiæ corpore (quod Nos sumus) instituendo ac reformādo/omnes animi uires intendas/cunctosq; industriæ neruos adhibeas/partim alliciunt & inuitant / partim uero stimulant atq; impellunt. Tu quidem sapientissimis ortus parentibus/celebri & florida Ciuitate natus/inter eruditissimos homines/liberaliaq; studia eruditus/Cardinea dignitate ornatus / Inter sacra arduaq; negotia diutissime uersatus / Tāta præter naturā bonitatē & rerū experiētiā ingenii gloria excelluisti; ut occurrēte Roman. Pontificis obitu sic ascensus tuus ad summū istum Pontificatū celebraretur; q̄ ueluti cætera



in te præclara fama ingenii superabat/ Ita ingenii fama expectatio tantæ dignitatis/ expectationem uero assumptio ipsa mirabiliter superaret/ Acclamantibus cunctis/ A dño factum est istud/ & est mirabile in oculis nostris/ Dextera dñi fecit uirtutem/ Dextera dñi exaltauit te. Ne duriores aút humeris tuis conditionē q̄ ferre possis hæc omnia imponere uideātur/ Ego ille qui nihil horū sine magna cura / pietate ac reuerentia sup̄mæ dignitatis tuæ/ Sacrosanctiq; huius amplissimi ordinis / ac uniuersi Ecclesiastici gradus locutus sum/ Prædico/ clamo/ denuntio/ & si per uiscera Iesu Christi obtestari Te semel licet / nunc utiq; obtestor/ Concitare/atq; exurge/Syon Matrem nostram/ Sponsamq; tuam circūda: ipsam complectere/in Turribus eius mirabilia Dei enarra/ fidelium corda uirtute instrue atq; compone/Vrbem primū ut Iudicium incipiat a domo dñi/ Inde Orbem discipline tuæ censura in pristinū Fidei/ Spei/ Charitatisq; cultum restitue. Omnia namq; Christianæ Reipublicæ Iura/ singula bonorū perfugia/ Innocentū præsidia/ Penitentū merita/ Malorū supplicia/ Omnis deniq; temporū præteritorū memoria/ Ratio præsentium/ Spes futurorū/ ut in tua hodie potestate / in tua snia / in tuo Iudicio sunt posita atq; defixa/ Ita & per Te unū/ si partim recuperata/ partim uero fuerint conseruata: Iam pacate omnia se inter Christianos/ habebunt: Iam deo reconciliati unanimes consilio atq; ardore in perfidos ac imanes Christiani nominis Hostes / bellum & propulsa-

bimus & aggrediemur: Iam uictricem Classē & Exercitum gloriosum Constantinopolim & Hierusalem uersus cursu prospero Deo fauete dirigemus/ Propheticum illud memorantes & concinentes: Introibimus in tabernaculū dei/ adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius: Iam te inuicto nobiscū Leone pugnante uniuersis tandem corporis & animæ Hostibus debellatis/ deuictis/ atq; consumptis/ sub felici faustoq; Beatitudinis tuæ Vexillo/ sup̄nā illā Hierusalē introeuntes/ ac simul cum sanctis Apostolis/ Prophetis/ Euangelistis/ Doctoribus/ atq; Pastoribus diuinæ hereditatis effecti participes/ ante Regium thalamū decantabimus: Regi seculorū immortalī & inuisibili soli deo honor & gloria in secula seculorū: Amen.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

